prætorio; quam clariſſimi præſides provinciarum, & eis obſequentia officia & locorum defenſores, & alii publicorum tractatores, ſi hanc legem violaverint, aut violari conceſſerint, aut confeſtim & vere ejus violatores minime detulerint.

3.

CUm in civitate aliqua frumenti comparandi curatore opus eſt, ejus [1] creatio fiat arbitrio, & electione epiſcopi, & primorum civitatis, non ut videbitur creatoribus, neque ex quibus voluerint perſonis, ſed ſoli ex regione illa officiales militantes, & dimiſſi ad munus illud ſitoniæ ab eis promoveantur. Hi namque, qui in publicis negotiis diu ſunt exercitati, facilius ſitoniæ munus expedient. At [2] omni damno liberentur, qui eam neceſſitudinem, curamque ſuſtinuerint, & ſecundum leges diſcutiantur: quandoquidem æquum non eſt, ut ex tot laboribus damnum ferant: frumentum autem præbeant non majore pretio, quam in foro diſtrahatur. Qui violarit legem, aut violari conceſſerit, triginta librarum auri multam ſuſtineto.

TIT. XXVIII.
DE COLLATIONE DONATORUM [3], VEL RELEVATORUM [4], AUT TRANSLATORUM [5], SEU ADÆRATORUM [6].

1. Impp. VALENT. & THEODOS. AA. Hermocrati P.P. [7].

DIſpoſitionem ampliſſimæ recordationis Antiochi [8], quæ certam quantitatem ante ſe relevatis poſſeſſionibus nomine canonis indixit, non imminui [9] decernimus: id enim quoniam in canonem cecidit, & anniverſaria debet penſitatione perſolvi: nec in præteritum, nec in poſterum patimur eſſe conceſſum. Indulgentiam vero memoratæ deſcriptionis, & in ante actum, & in poſterum tempus non ſolum in relevatis, verum etiam in donatis, adæratis, translatisque, ſeu quodlibet aliud nomen novæ deſcriptionis excogitatum eſt, volumus obſervari: nullamque ſuper his unquam [10] exactionis moleſtiam formidari: quibus non tantum reliqua præteriti temporis relaxamus, ſed nec in poſterum quicquam innovationis [11] aut oneris [12] adjiciendum eſſe cenſemus: nullique licere deinceps contra divalia ſtatuta relevare ſuas poſſeſſiones. † Noverit tamen ampliſſimæ tuæ ſedis officium, quod ſi aliquando nobis ſuggeſtio huic noſtræ ſanctioni contraria porrigatur: vel ſi ſacris mandatis, ſi [13] qua forte citra [14] ſuggeſtionem his piis diſpoſitionibus adverſa emanaverint [15], obſequatur, & aliquos [16] tanquam debitores ex hujusmodi titulo crediderit exponendos [17]: ducentarum librarum auri ſe ſciat condemnatione multandum. Dat. 12. Kal. Dec. THEOD. A. XVIII. & ALBINO CONSS. 444.

TIT. XXIX.
DE COLLATIONE ÆRIS [18].

Pro ære poteſt ſolvi aurum tanti valoris. Bart.

1. Impp. ARCAD. & HONOR. AA. Hilario [19] P. P.

ÆRis pretia, quæ a provincialibus poſtulantur, ita exigi volumus [20], ut pro viginti [21] libris æris, unus auri ſolidus a poſſeſſore reddatur. Dat. 5. Kalend. Jun. *Mediolani*, ARCAD. IV. & HONOR. III. AA. CONSS. 396.

TIT. XXX.
DE [22] DISCUSSORIBUS.

Si æſtimator male æſtimat, ipſe tenetur. Bart.

1. Imppp. VALENT. VALENS & GRAT. AAA. ad Artemium Vicar. Hiſpaniarum [23].

QUotiens in [24] diſceptatione conſtiterit inique diſcuſſionem fuiſſe confectam, & fidem facti non poterit approbare diſcuſſor, ipſe in eodem titulo [25], & in eodem modo ad ſolvendum protinus urgeatur, in [26] quo alterum perperam fecerit debitorem. Dat. prid. Id. Maji, VALENTIN. NB. P. & VICTORE CONSS. 369.

2. Impp. ARCAD. & HONOR. AA. Meſſalæ P. P. [27].

NE caſu amiſſa ſecuritate [28] publica, quædam præda naſcatur collatoribus: decernimus, ut quando ſecuritates a diſcuſſoribus ſeu apparitoribus expoſitæ, ratiociniis [29] publicis continentur, rurſus [30] per injuriam [31] non petantur. Dat. 5. Kalend. Decembr. [32] *Mediolani*, STILICHONE, & AURELIANO CONSS. 400.

Ab onere diſcutiendi, & æſtimandi patrimonia nullus excuſatur, nec etiam miles, nec militans. Bart.

3. Impp. THEODOS. & VALENTIN. AA. Apollonio P.P. [33].

PEr ſingulas provincias, vel civitates, honoratis uſque ad Comitivam conſiſtorianam [34] nec non etiam militantibus, & ſuis obſequiis non adhærentibus, advocatis [35], quin etiam fori provincialis mandari diſcuſſionum jugerum ſollicitudinem decernimus. Dat. 5. Kalend. Januar. EUDOXIO & DIOSCORO CONSS. 442.

4.

NEmo fiat diſcuſſor aliter, quam [36] ex juſſione principis, ſpecialiter diſcuſſoris faciente mentionem, non præfectorum juſſu, non ex præcepto alterius cujuſquam judicis, non civilium [37] operum, vel pecuniarum frumento comparando deſtinatarum, vel portuum, vel eorum, quæ impenduntur in aquæductus, murorumve conſtructione, vel ad vias ſternendas, vel ad pontium & aggerum inſtructionem, ſed neque pecuniarum ad lavacra deſtinatarum, vel alio quocunque modo ad civilem rationem pertinentium. † At princeps, ſive ex ærario pecunias miſerit ad mœnium, vel alterius operis conſtructionem, ſive ab aliis relictas civitatibus pecunias invenerit, ſemel vel etiam ſæpius cum ei ſederit animo, mittat diſcuſſorem, quo opus admetiatur, & rationes poſcat exacte, & ad ſe referat: ut ſi recte ſumptus facti ſunt, iis, qui fecerunt, ſacra ſecuritas conficiatur, qua freti nullam ii poſtea, vel heredes eorum, aut ſuccedentes poſſeſſores quæſtionem patiantur. † Valeat, & ab officio poſt rationum diſcuſſionem emiſſa ſecuritas, nec ſacra apocha, nec alia qualibet cautione indigens. † Sumptus [38] autem diſcuſſoribus ſolicetur Conſtitutio, ut hinc damno ratiocinia tractent. Eos vero, qui de ſuo impendunt in opera civitatis, vel alias publicas neceſſitates, heredesque eorum, nullam vult diſcuſſionem ſuſtinere, vel locorum, vel eorum, qui curant ἀγωγικὰ [39] aut παραπομπικὰ, vel ſumptuum, qui fiunt circa mulos fiſcales, aut muliones, vel proſecutionum rationes, vel eorum, quæ generali nomine vocantur omnia. † Cæterum præſidum nemo diſcuſſorem mittat, ſed referat ad principem in hoc, ut ab eo mittatur, qui hæc diſcutiat, ac ne unum quidem obolum inde corradat, ſed tam fiſco, quam collatoribus ſuum conſervet: & ſi inventus ſit aliquos pecunias fiſcales exegerit, & ſacro ornamento [40] intulerit, licito jure ſibi in ſingulas libras ſex ſolidos pro ſolatio retineat. Quod ſi vel obolum invitis, aut volentibus provincialibus acceperit, is quidem quod accepit reddat, quadruplum fiſco inferens, & criminaliter coërceatur, quaſi proditor fiſci, collatorumque concuſſor. Qui autem dedit, quaſi hoc ipſo confeſſus ſe fiſci rationibus obnoxium, rurſus diſcutiatur, & exigatur. † Diſcuſſione autem ſolennium facta, & ad principem perlata, diſcuſſis ſacra ſecuritas detur: dari etiam ea poteſt a diſcuſſoribus, ita ut utroque caſu nullam illi poſtea diſcuſſionem patiantur. Neque vero ob ſecuritatem a ſe expoſitam diſcuſſor quidquam accipere poteſt, vel ſi quid exigat, diſcuſſis, & municipibus eum propulſandi [41] jus eſt: referendi etiam ad principem, ut mittat alium, qui hoc genus concuſſionis coërceat. † Præſes, qui poſt hanc legem non accepta ex ſcripto juſſione principis, diſcuſſorem quacunque ex cauſa miſerit, xx. librarum auri, & officium ejus ex. pœnæ ſubjaceat, qui nec occaſione repurgationis cloacarum, vel ædificiorum muris adjunctorum, vel ruinæ eorum, vel ob factas in publicis porticibus πελάβαια, ut vocantur, & areas, vel eorum, quæ in civitatis intercolumniis ædificata ſunt, quaſi deſtruenda ſint, vel de imaginibus, aliisve a ſe excogitatis modis, aut civilibus quæſtionibus ulla juſſionem facere poteſt. Quod ſi fecerit, licet [42] civibus executioni earum obſiſtere, minimeque eis ſatisfacere, præſidibus provinciarum hoc ſilentio transmittentibus, & omni civili, publicoque auxilio eisdem ſubdendo pœnis, facultatem quoque habentibus iis, qui voluerint preces principi offerre, & geſta perdocere, ut principalis indignationis correctio conſequatur: præſidibus item talia jubentibus viginti libris auri multandis, majoremque principis commotionem expectantibus: officio autem obſecundante præter multam quindecim libr. auri in corpus caſtigando. Soli enim principi licet horum inſpectionem [43] viro integro & fideliter atque ex uſu civitatum hæc indaganti, nihilque protinus ob id accipienti mandare. † Provideant autem patres civitatum poſſeſſorumque potiores, ne quis civilem, vel publicum ullum locum in muris, vel in publicis porticibus, vel obſequiis, vel aliubi injuſta ex cauſa detineat, & ne cuiquam detur

Barbaros, Plutarchus *in Gracchis* ἐπεισάκτους: & in conciliis mulieres συνεισάκτους: Paulus παρεισάκτους appellat. Evocati vero milites, ἀνάκλητοι veterani, quos poſt patris cædem Auguſtus excivit ex Galatia & Caſilino, quorum fuit certum corpus ferentium vites centurionum more, *Dion.* 55. quos ideo Centuriones certe poſſis appellare. Nam & ita Titinnium, quem Vellejus Paterculus, G. Caſſii evocatum, Dio 47. & Valerius 9. Centurionem appellant, vide Cujac. 7. *obſerv.* 10.

1 Sitonæ creantur ex cohortalibus, arbitrio primorum civitatis & Epiſcopi. 2 Vide *l. ult.* §. *item reſcripſerunt.* 6. *ff. de adminiſtrat. rerum ad civit.* 3 Donat poſſeſſiones Princeps, dempto canone: relevat poſſeſſiones tributis: transfert poſſeſſiones in jus aliud, aliamve functionem. 4 Adde *l.* 24. *ff. de Cenſib.* 5 *l.* 5. *ſupr. de ſacroſ. Eccleſ.* 6 Adærare eſt æſtimare & taxare pecunia, quod in annonis inferebatur. 7 Ex *lib.* 11. *tit.* 20. *l.* 6. *C. Theod.* in qua tamen legitur, *Antiocho P. P.* 8 Qui fuit P. P. ante Hermocratem: ad quem ſcripta hæc conſtitutio. adde *l. ult. C. Th. h. t.* 9 Minui. 10 Iniquam. 11 *l. pen. infr. de omni agro. l.* 11. *tit.* 58. 12 Muneris. 13 Mandata citra ſuggeſtionem & libellum dantur ultro: tacita vero alterius ſuggeſtione dantur ex libello. Porro ut differant a pragmatica ſanctione, oraculo & adnotatione, dixi ad *l. ult. ſupr. de petit. bonorum ſublatis.* 14 Contra. 15 Manaverint. 16 Alios. 17 Al. *exigendos*, in *C. Theod.* 18 Æs inferebant fiſco quædam provinciæ, ut Cyprus: quæ ideo ærosa. Feſtus. 19 Ex *C. Theod. lib.* 11. *tit.* 21. *l.* 2. 20 Pro ære aurum provinciæ inferre poſſunt hac forma: pro vicenis libris æris, ſingulos ſolidos, *ut hic. l. unic.* J. *de argenti pretio. h. lib. tit.* 76. Ita ſolvi aliud pro alio volenti poteſt. *Goth.* Intellectum hujus l. vid. apud Covarruv. *de vet. num. collat. c.* 3. Anſ. 21 In *C. Theod. vigintiquinque.*

22 Περὶ ἀναγραφέων ἤτοι λογοθετῶν τῶν ἐν τοῖς θέμασιν ἀποστελλομένων καὶ τῷ δημοσίῳ ἀνήκοντα ἀπὸ παντοίας ὑποθέσεως ἀπαργυριζόντων καὶ ἀναψηλαφόντων καὶ εἰς πραττομένων καὶ ὅτι ἐν ἑκάστῃ λίτρᾳ τῶν ἀπαιτουμένων παρ᾽ αὐτῶν νομίσματα ἓξ λαμβάνουσι. Id eſt, De deſcriptoribus ſive diſcuſſoribus, qui mittuntur in provincias, & ad fiſcum, ex quacunque cauſa pertinentia adærant, & tractant, & exigunt. Item quod in libra qualibet eorum quæ exiguntur, ſex aureos accipiant. *Synopſ. Baſil.* 56. *tit.* 10. De diſcuſſore adde munus aliud ex *l.* 9. J. *de Judæis.* Et breviter, Diſcuſſor, Diſceptator rationum, fiſcalium vel publicarum ab aliis tractatarum. *l. ult. infr. h. t. l. cum poſt.* 26. *ſupr. de appell. l. pen. ſupr. quorum appell. l.* 1. J. *de ratiocin. oper. publ.* Symmachus *in epiſt.* 23 *C. Theod. l.* 11. *tit.* 26. 24 Quoties diſcuſſor non probaverit diſcuſſionem a ſe cum fide, recteque factam eſſe, eodem ipſe titulo urgeatur, quo alterum gravavit. *Syn. ib. c.* 2. 25 Id eſt, eadem ſpecie, & quantitate. *l.* 6. *infr. de cenſibus. l.* 11. *tit.* 57. 26 Vid. *l.* 1. *ſupr. de ratiocin. oper. public.* 27 *C. Theod. ibid. l.* 2. *quibusdam tamen mutatis.* 28 Securitate, ſeu apocha illationis amiſſa, fides ex polyptychis, id eſt, rationibus publicis ſumitur, *ut hic*, & *l. illata.* 4. *ſupr. de fide inſtrumentorum. l.* 2. §. 1. J. *de quadrien. præſcr. l.* 11. *infr. de ſuſceptoribus. h. l. tit.* 70. 29 Ratiocinia publica, polyptica, ſeu polypſycha Græcis, quod eæ chartæ πολλὰς ἀποκλείσεις οἷον πτύχας habeant, ſunt vero rationes publicæ, *l.* 2. *C. Th. h. t. l.* 13. *C. Theod. de ind. deb.* non chirographa aut apochæ, ut Alciatus putat 3. *parergon.* De Diptychis vide, quæ ſcripſi ad *l.* 7. *in fin. ſupr. de ſumma Trinit.* adde Cujac. 4. *obſ.* 27. 30 Sine injuria autem petuntur: quoties deſiderant collatores tabulas publicas ſibi exhiberi. Ea ratione poſſeſſores recte poſtulant cenſuales proferre tabulas publicas, ex quibus diſcant debitorum ſive reliquorum modum. *Novell.* 17. *c.* 8. & 128. *c.* 4. 31 *l.* 3. *infr. de metallis. l.* 11. *tit.* 6. Goth. Adde *l.* 57. *ff. de adminiſtrat. tutor.* & *Novell.* 17. *cap.* 8. S. L. 32 Al. *C. P.* 33 In manuſcripto legitur, *præfecto Auguſtorum.* 34 Diſcuſſionis onus injungi poteſt non honorariis tantum comitibus conſiſtorianis, ſed etiam in actu poſitis, ſi ſuis obſequiis non adhæreant, *arg. l.* 1. J. *de collegiis.* Item advocatis fori provincialis, quod tamen pugnare videtur cum *l.* 6. *ſupr. de advoc. diverſ. judic.* niſi eam ad illuſtrium & ſpectabilium judicum dumtaxat advocationem referas, non ordinariorum judicum, quæ non niſi impleto hujusmodi munere, immunitate fruitur. *l.* 1. J. *quib. mun. exc.* Mod. 35 Imo advocatis mandari non poteſt. *l.* 6. *ſupr. de advocat. diverſ. judicior.* 36 Diſcuſſor rationum, (qui Logotheta Juliano Patritio eſt) ſeu rerum ad civitates pertinentium a ſolo principe mittebatur: non a P. Prætorio, non a Comite largitionum, aut privatarum, aut a Præſide. Id enim princeps ſibi adrogat: ordinarii vero diſcuſſores hujusmodi rationum, Epiſcopus & quinque primi civitatis. *Novell.* 128. *c.* 16. *verſ. Singulis autem.* 37 Pecuniæ civiles, ſeu civitatum (Galli vocarent, *deniers d'octroy*) in hos uſus præcipue vertebantur, videlicet in opera publica, frumenti coemptionem, portus, aquæductus, muros, vias, pontes, aggeres, balnea. 38 Diſcuſſor ſumptus accipit ex publico, non a collatoribus. 39 Species illatæ a provincialibus, vel ad arcam P. P. transmittebantur, vel conſumebantur in ipſa provincia. Transmittebantur autem ſumptibus provincialium, quæ ἀγωγικὰ, & παραπομπικὰ hic dicuntur. Pro his vero, quæ in ipſa provincia conſumebantur, exigebantur παραπομπικά, adde *Nov.* 128. *c.* 9. 40 Sacrum ornamentum hic nihil aliud, quam ſacrum ærarium: quod Nicetas veſtiarium quoque appellat. 41 Officialem injuſte exequentem repellere jus eſt. dixi ad *l.* 5. J. *de executoribus. l.* 12. *tit.* 61. 42 Officiali injuſte exequenti licet reſiſtere. 43 Diſcuſſori hic inſpectionem tribuit, de quo vide Cujac. *hic.*

quidquam ex publico ſine ſacra forma. Quæ enim fuerint ab eis tradita, non recte reſcindentur: & in damno verſabuntur, qui acceperint. Iidem provideant, ne, qui ex ſacra forma habent poſſeſſionem aquæ, quid uſurpent præter cæteros, & hic quidem plus, ille minus accipiat. † Hæc autem magnificus Comes rerum privatarum, & ei obſequentes Palatini perſcrutari & deferre debent, impoſitasque pœnas exigere: vel ſi neglexerint, viginti libris auri multantur, officium vero xv.

TIT. XXXI.
DE [1] DECURIONIBUS ET FILIIS EORUM, ET QUI [2] DECURIONES HABEANTUR, ET QUIBUS MODIS A FORTUNA CURIÆ [3] LIBERENTUR.

An pater, & ejus heredes pro filio teneantur.

1. Impp. VALER. & GALLIEN. AA. & Valerianus C. Carterio.

SI cum te pater *decurionem eſſe* voluiſſet, & illo in rebus humanis agente [4] honor tibi iſte delatus eſt: tenentur quidem etiam heredes ejus Reipubl. nam in hac parte vice fidejuſſoris pater accipitur: ſed non ante, niſi [5] tuis [propriis [6]] rebus excuſſis. PP. 5. Kalend. Decembr. ÆMILIO & BASSO CONSS. 260.

De ratione nominandorum magiſtratuum.

2. Exemplum ſacrar. literarum DIOCLET. & MAXIM. AA.

OBſervare oportebit Magiſtratus [7], ut decurionibus ſolenniter in [8] curiam convocatis, *nominationem* ad certa munera faciant: eamque ſtatim in notitiam ejus, qui fuerit nominatus per officialem publicum perferri [9] curent: habituro appellandi [10], ſi voluerit, atque agendi [11] facultatem apud [12] Præſidem cauſam ſuam jure conſueto: quem ſi conſtiterit nominari minime debuiſſe, ſumptum [13] litis eidem a nominatore reſtitui oportebit. Sine die & conſule.

De ætate.

3. Iidem AA. & CC. Julio.

CUm decurionatus honorem [14] ſponte ſuſceperis, ab albo [15] eximi, [licet] annoſum te eſſe dicas, non potes. PP. Id. Novembr. DIOCLET. A. II. & ARISTOBULO CONSS. 285.

De filiis adoptivis.

4. Iidem AA. & CC. Caſſiano S. P.

CUm adoptivum [16] filium ex adoptantis dignitate decurionis filium effici nulla dubitatio ſit: pro atrocibus injuriis eum quem ad [17] vicem [18] naturalis [19] pignoris tibi adſcribebas, a Præſide provinciæ illicitis corporis cruciatibus adfici non oportuit [20]: hocque congruenti pœna coërcebitur [21]. PP. [22] 2. Kal. Decembr. DIOCLET. A. II. & ARISTOBULO CONSS. 285.

De filiisfamilias.

5. Iidem AA. Alexandro.

FIlios [23] in poteſtate patris poſitos, ad munera ſeu honores non poſſe evocari [24] falſo tibi perſuaſum eſt. Sane ſi [25] ad nominationem [26] filii conſenſum non accommodaveris, ob adminiſtrationem ipſius minime conveniri poteris. PP. 6. Id.* MAXIMO II. & AQUILINO CONSS. 286.

De expertibus litterarum.

6. Iidem AA. & CC. Leontio.

EXpertes [27] litterarum decurionis munera peragere non prohibent jura [28]. Dat. 8. Kal. Maji, AA. CONSS.

De fratribus habentibus bona indiviſa.

7. Iidem AA. & CC. Diogeniano.

LIcet indiviſa [29] bona fratres habent, nihilominus tamen ſinguli ſuo nomine civilibus tenentur muneribus. PP. 4. Idib. Maji [30], Ipſis AA. CONSS.

De infamia. De oculis amiſſis.

8. Iidem AA. & CC. Platoniano.

INfamia [31], quæ tibi abominanda eſt, non etiam amiſſionis oculorum [32] caſus, quæſitum tibi adimit honorem. Dat. 16. Kalend. Februar. *Nicomediæ*, CC. CONSS.

De his, qui filios habent, vel non.

9. Iidem AA. Aurelio.

IN albo decurionum præſcriptis [33], patrem, non [34] habenti filios anteferri conſtat.

De ætate.

10. Iidem AA. & CC. Aurelio.

SI ultra ſeptuageſimum [35] ætatis annum patrem tuum eſſe Præſes provinciæ perſpexerit: eum perſonalium munerum vacatione perfrui providebit.

Ne uxor pro marito conveniatur.

11. Iidem AA. & CC. ad Maximinum.

UXorem [36] pro marito decurione conveniri non poſſe [37], procul dubio [38] eſt.

De infamia.

12. Iidem AA. & CC. Zotico.

NEc infames [39] immunitatem habere, cum [40] hæc privilegii, non notæ ſit, convenit. Dat. 5. Kal. Febr. AA. CONSS.

De ſententia Præſidis, de ætate, de podagra.

13. Iidem AA. & CC. Proculo.

A [41] Muneribus decurionatus nec [42] ſententia Præſidis in perpetuum, nec anni quinquaginta [43], nec podagræ [44] valetudo præſtat excuſationem.

Quis vacationem tribuere poſſit.

14. Imp. CONSTANTINUS A. ad Evagrium.

NEmo [45] judex [46] aliquem ſuo arbitrio de curia liberet: nam ſi quis fuerit hujusmodi [47] infortunio depravatus, ut debeat ſublevari, de ejus nomine ad noſtram ſcientiam referri [48] oportet: ut certo temporis ſpatio civilium munerum ei vacatio porrigatur. PP. Id. Mart. CONSTANTINO A. III. & LICINIO III. CONSS. 313.

De Tabellionatu.

15. Idem A. Mechilio Hilariano correctori Lucaniæ & Britiorum.

UNiverſos [49] decuriones volumus a Tabellionum [50] officiis [51] temperare. Dat. 3. Kal. Febr. SABINO & RUFFINO CONSS. 316.

1 Decuriones publici conſilii cauſa in coloniis ac municipiis conſcribebantur. *l.* 239. §. 5. *ff. de verb. ſign.* Suæ curiæ quaſi Senatores erant. *l.* 33. *infr. h. t.* Ex iis magiſtratus ipſi, id eſt Duumviri, Ædiles (in aliquibus municipiis Dictatores, Prætoresque) creabantur: nec aliis, quam decurionibus, illi honores demandabantur. *l.* 7. §. 2. *ff. h. t.* Pecuniasque publicas tractabant, erogandas decernebant, annona civitati uti ſupereſſet, providebant. Curatores frumenti, olei comparandi, vel operum publicorum, aut alterius negotiationis publicæ cauſa, Legatos, Syndicos & Tutores periculo ſuo conſtituebant: Tributa, cenſus, & legata Reipublicæ exigebant: omnium denique, quæ univerſim ad Rempublicam pertinebant, curam gerebant. *l.* 30. *ff. de neg. geſt. l.* 2. 8. 17. §. 7. *l. ult.* §. 2. *ff. ad munic. l.* 5. J. *de adminiſt. tutor.* Procuratores, conductores, aut eorum fidejuſſores, aut mandatores eſſe non poterant. *l.* 30. J. *de locato.* militia eis erat interdicta, *l.* 55. J. *h. t.* Tot muneribus obnoxii decuriones cum eſſent, non mirum, quod plerique ſupplicii quaſi loco, Decurionatui addicerentur, de quo dixi ad *l.* 38. J. *h. t.* Pro his tamen oneribus, magnis viciſſim privilegiis honorati, ut neque fuſtibus, *l.* 5. J. *ex quibus cauſis infamia.* neque quæſtioni ſubjicerentur. *l.* 16. J. *de quæſtionibus.* non in metallum, vel opus metalli damnari: non furcis affigi, ad beſtias, aut in opus publice dari, vel vivi exuri poterant: (adeo ut, ſi pœnæ ſuperiores indictæ eſſent, a principe liberarentur. *l.* 9. §. 11. *l.* 28. §. 5. *ff. de pœnis, l.* 3. *ff. de veteranis, l.* 3. J. *de pœnis.*) Denique non capite puniri. *l.* 15. *ff. de pœnis.* Sed ſi quid capitale admittebant, in carcerem tantum conjiciebantur ac vinciebantur, interea dum Princeps cauſa cognita de crimine cognoſcebat. *l.* 6. §. 7. *ff. de injuſto, rupt.* & *irrit. l.* 27. *in fin. ff. de pœn. l.* 1. *in fin. ff. quando appellandum.* Idem honos (quod majus eſt) parentibus & liberis eorum tribuebatur, *ut ex legibus ſuperius propoſitis conſtare poteſt.* Ab extraordinariis etiam muneribus immunes. *l.* 12. J. *h. t.* Ac ne curiæ inopia civium desererentur, a Theodoſio primum conſtitutum, deinde ab ejus ſucceſſoribus confirmatum, ut naturales filii Curiæ oblati legitimi fierent, ſuorumque heredum jura nanciſcerentur. *l.* 3. *l.* 4. *ſupr. de naturalib. liberis.* §. 2. *Inſt. de hered. ab inteſt.* 2 *L.* 50. *ff. tit.* 2. *Novell.* 38. *Ecl. lib.* 54. *tit.* 1. *Novell. Leon.* 46. Decuriones ſublati, proinde hic titulus in Baſilicis deeſt. 3 Al. *curiali.* Goth. *Curia* ſenatum ſignificat, qui duplex eſt, Romæ antiquæ ſcilicet, & novæ, atque hic dicitur maximus. *l. ult.* J. *hoc tit.* In aliis autem civitatibus ſunt *curiæ*, hoc eſt, ſenatus quidem, ſed minores: in qualem ſenatum, qui conſcripti ſunt conſilii publici cauſa, curiales, ſive decuriones, quodammodo ſenatores ſunt. *l. omnes judices.* J. *hoc tit.* Mod. 4 Si filiusfamilias voluntate patris, & patre ſuperſtite decurio factus ſit, heredes patris reipublicæ tenentur, excuſſo prius filio, *l. libertus.* §. *filium. ff. ad municip.* ſed ſi filiusfamilias a patre decurio factus, poſt mortem patris honores vel munera quædam civilia ſuſcipiat, vel ſi pater voluerit eum decurionem fieri, qui honor demum illi poſt mortem patris delatus ſit, heredes patris eo nomine reipublicæ non tenentur, *l. Lucius.* §. *hoc reſponſum. ff. ad munic. l.* 3. §. *ult. l. etſi filium. ff. de mun.* & *honor.* nec pugnat cum hoc *l. ſi filia.* §. *Neratius. ff. famil. erciſc.* quoniam ibi vivo patre filio delata eſt ἀγωνοθεσία, atque eam filium pater ſuſcepturum profeſſus eſt: unde merito heredes tenentur, etſi filius non niſi poſt mortem patris eo munere functus ſit. *l.* 1. J. *de peric. ſucceſſ. parent.* Mod. 5 *l.* 17. §. 2. *ff. ad municipalem.* 6 Al. *deeſt.* 7 Duumviri nominationem ad munera civilia faciunt ex more ſeu lege municipali, convocata curia, ſed ab ea nominatione eſt appellatio, *l. ſi ad ſcribatum. l. ii, qui ad civilia. l. cives. ſupr. de appell.* vel querela potius quam appellatio *l. ſi nominatus. C. Theod. hoc tit.* ſine obſervatione dierum fatalium, *l.* 1. J. *de temp. app.* atque hanc nominationem confirmari oportebat judicio præſidum, *l.* 59. J. *qui* & *nominatim intereſſe ſolent. l.* 1. §. *ſed etſi præſes. ff. quando app. ſit.* Mod. 8 *Ad.* 9 Id eſt, prerferre. *al. proferre.* 10 Vid. *l.* 1. §. 3. *ff. quando appelland. l.* 1. *pr. ff. de vacat. muner.* 11 Peragendi. 12 Vide Socinum *reg.* 87. *l.* 54. J. *h. t. d.* §. 3. *l. unic. in fin.* J. *de vacat. publ. muner. h. lib. tit.* 45. *l.* 37. *in pr. ff. ad munic.* 13 Vid. *l. unic.* J. *de ſumptuum recuper. h. l. tit.* 67. 14 *l.* 2. *in fin. ff. h. t.* 15 Album quid, vid. *tit. ff. de albo ſcribendo.* 16 Adoptivus dignitate adoptantis fruitur. 17 Adoptivus filius ad vicem naturalis pignoris adſcriptus, ſeu adſcitus. 18 Invicem. 19 Pignora naturalia vocat filios naturales, ſunt enim ἐνέχυρα βίου, Theophylact. *Scholiaſt. in epiſt. Theophil. Inſt. de ſatisd. tutorum, in princ.* Seneca, pignora pacis. 20 *l.* 5. *ſupr. ex quib. cauſis infam. irrogatur.* 21 *Al.* XI. 22 Pœnam definitam vide in *l. omnes judices.* J. Mod. 23 Decuriones creari etiam filiifamilias poſſunt. 24 Devocari, *al. nominari.* 25 Pro filio decurione pater non tenetur, niſi in ejus decurionatum conſenſerit. *l.* 3. J. *ne filius pro patre. l.* 3. §. *quod pater.* 5. *l.* 17. §. 1. *ff. de munerib. l.* 4. J. *de filiisfamil. h. lib. tit.* 60. 26 Denominationem. 27 Literarum expertes & imperiti decuriones creari poſſunt. 28 Noſtra jura. 29 Communio bonorum, neminem obligationi alienæ adſtringit. adde *l.* 3. J. *de munerib.* & *honorib. non continuand. h. lib. tit.* 40. 30 Al. *Paulino.* 31 Infamis removetur a decurionatu. 32 Cæcus cæcitate ipſa decurionatum non amittit: ſed infamia tantum contracta. adde *l.* 1. §. 5. *verſ. caſum. ff. de poſtuland.* 33 Al. *proſcribendo.* al. *deſcribendo.* Cont. 34 Liberos qui habet in decurionatu adipiſcendo, aliis liberos non habenti præferendus, *ut hic, l.* 6. §. 5. *ff. h. t.* Præſumitur enim liberos habens, de republica magis ſollicitus eſſe, quam is, qui non habet. vid. Alciat. 1. *præſ.* 36. adde quædam ex l. Julia, quæ apud Gellium, *lib.* 2. 35 Vid. *l. ult.* J. *qui ætate. l.* 3. *l.* 5. §. 7. *ff. de jure immunitatis.* 36 Uxor pro marito decurione conveniri non poteſt. adde *l.* 2. J. *ne uxor pro marito.* 37 Dos tamen tenetur ob civile munus vel honorem mariti, nec ſpeciale hoc eſt in primipilatu: parapherna non tenentur. *l.* 3. J. *ne uxor pro mar.* Mod. 38 Non eſt. 39 Infamis immunitatem munerum habere non poteſt. adde *l.* 8. J. & *l.* 49. J. *h. t. l. unic.* J. *de infamib. h. lib. tit.* 57. *l.* 3. §. *ſi in metallum.* 2. *ff. de minorib. Novell.* 45. *in princ.* 40 Privilegio frui non meretur, qui pœnam meretur. *l. Judæos.* 11. *ubi Gloſſ.* J. *de Judæis, l. qui ſine.* 38. *ff. de negotiis, c. privilegium, cauſ.* 11. *q.* 3. *cap. tuarum, cap. ut privilegia, x. de privilegiis.* 41 Al. *De.* 42 A decurionatu non liberat Præſidis ſententia. adde *l.* 14. J. *h. t.* 43 Sic legit Euſtathius περὶ χρόνων. Cujacius tamen mallet *LV.* 44 Podagra non liberat a decurionatu. adde *l. Podagræ.* 3. J. *qui morbo ſe excuſant. h. lib. tit.* 50. 45 *Cod. Theod. lib.* 12. *tit.* 1. *l.* 1. ſed hæc lex multum eſt immutata. 46 Adde *l.* 13. J. *h. t.* adde *l. unic.* J. *de his qui a principe vacat. h. lib. tit.* 44. 47 Al. *hujus.* 48 Deferri. *Goth.* Præſes provinciæ tribuere munerum vacationem non poteſt, etiamſi juſta videatur dandæ vacationis cauſa ſubeſſe: veluti paupertas, aut everſio bonorum, aut morbus ſonticus, ſed impetranda eſt a principe. *l.* 1. J. *de iis, qui a princ. vac. acc.* Mod. 49 *Cod. Theod. l.* 3. 50 Tabellio eſſe non poteſt, qui decurio eſt, *ut hic.* adde *l.* 21. J. *ad l. Corn. de falſis.* Cur ita jus eſt? An quod ſcribæ munus vile? ita poſt Accurſium, Bartolum & alios notat Tiraquellus *cap.* 30. *de Nobilitate.* Livius 9. *C. Flavius Cn. filius ſcriba, patre libertino, humili fortuna ortus. Facit, quod ſcribæ merces pro opera, non pro induſtria detur*, licet Alciatus contra ſentiat, *in l. mercis appellatio.* 66. *ff. de verb. ſign.* Sed iidem ſervi publici appellantur, *l. non aliter.* 18. *ff. de adopt. l.* 2. *ff. rem pupilli ſalvam fore. Theoph. Inſt. de adopt.* Quid, quod Cicero 5. *Verrina*, Scribæ tabellarium præconem & viatorem præferat: quaſi dignum majori mercede: Quæ omnia ad minutos & minorum judicum ſcribas referre poſſis: nec enim magni Senatus, vel Principis ſcribas, viles poſſis dicere, vel ignobiles, qualem dixeris Eumenem Alexandri, Plutarchus *in Eumene*, Porſenæ ſcribam, Livius 2. Æſchinem Athenienſium, Libanius *in argumento orationis* περὶ παραπρεσβείας, quales denique ſcribæ illi, quos munus honorificentiſſimum fuiſſe apud Græcos, refert Æmilius Probus. His adde Guidonem Papæ *quæſt.* 90. Adde Novellam Leonis περὶ πολιτικῶν συμβολαίων διατάξεων, ubi de creatione Tabellionum. 51 Tabelliones tamen, qui ſunt publici contractuum ſcriptores, ad decurionatum vocari poſſunt. *l. ſi quis decurio.* 21. *ſupr. ad leg. Corn. de falſis.* Goth. Vide Cujacium hic, Ferrandum *lib.* 2. *explic. cap.* 15. Forcatulum *Necyom. dialog.* 98. Mod.

De diſceſſu.

16. Idem A. ad Hilarianum Proconſ. Africæ [1].

SI quis decurio, vel propriæ rei cauſa, vel Reipublicæ cogatur noſtrum adire comitatum: is non [2] ante diſcedat, quam inſinuato Judici [3] deſiderio proficiſcendi licentiam [4] conſequatur. Quod ſi pro ſua audacia parvi aliquis hanc fecerit juſſionem, indignationem [5] competentem ſortiatur. PP. 7. Id. Jul. *Carthag.* CRISPO III. & CONST. [6] III. CONSS. 324.

De militia.

17. Idem A. ad Evagrium P. P. [7].

QUi derelicta curia militaverit [8], revocetur ad curiam. Dat. 16. Kal. Jun. CONSTANTINO A. VII. & CONSTANTIO C. CONSS. 326.

Si ad magiſtratum nominatus lateat.

18. Idem A. [9].

SI ad magiſtratum [10] nominati aufugerint, requirantur: & ſi pertinaci [eos [11]] animo latere patuerit [12], his ipſorum bona permittantur, qui præſenti tempore in locum eorum ad Duumviratus [13] munera vocabuntur: ita ut ſi poſtea reperti fuerint, biennio integro onera Duumviratus cogantur agnoſcere: Omnes enim qui obſequia publicorum munerum tentaverint declinare, ſimili conditione teneri oportet. Datum 3. Kalend. Octobr. *Serdicæ*, CONST. A. [14] X. & CONSTANTIO IV. CONSS. 326.

De reſcriptis.

19. Idem A. ad Lucretium Paternum [15].

VAcuatis [16] reſcriptis, per quæ munerum civilium nonnullis eſt vacatio præſtita [17], omnes civilibus neceſſitatibus aggregentur: ita ut nec conſenſu civium vel curiæ præſtita cuiquam immunitas valeat [18], ſed omnes ad munerum ſocietatem conveniantur. Dat. 8. Kal. Novembr. *Heracleæ*, CONSTANTINO A. [19] III. & CONSTANTIO IV. CONSS. 326.

De magiſtratuum deſertoribus.

20. Impp. CONSTANTIUS & CONSTANS AA. Ordini civitatis Ædeſenæ [20].

CIrcenſium [21] magiſtratus deſertores ad eam Gravitas tua faciat neceſſitatem conditionis urgeri, ut quaſcunque pro his expenſas civitas prærogaverit, refundere protinus ac repræſentare cogantur [22]. Dat. 14. Kal. Februar. *Naiſſi*, ACINDYNO & PROCULO CONSS. 340.

De immunitate.

21. Iidem AA. Nemeſiano Com. [23] largitionum.

CUriales omnium civitatum nullam [24] pro re privata noſtra debent inquietudinem ſuſtinere: nec hujuſmodi oneribus velut extraordinariis occupari: quoniam ſatis eſt, ſi civitatum munera per eos congrue compleantur [25]. Dat. Prid. Id. Aug. *Beſſæ*, ACINDYNO & PROCULO CONSS. 340.

Qui ſequuntur matrem.

22. Imp. JULIANUS A. Juliano Comiti Orientis [26].

EOs indulſerunt veteres Principes ex [27] materno genere curialibus Antiochenis [28] adſcribi, quos patris conditio [29] nullius vindicaret juri civitatis. Datum 5. Kalend. Septembr. *Antiochiæ*, MAMERTINO & NEVITA CONSS. 362.

De debitis alienis.

23. Idem A. Juliano Comiti Orientis [30].

PRovidendum eſt eorum novitati decurionum, qui nuper nomen curiis addiderunt, ne [31] præteritis debitis ſuſceptorum onerentur: ſed conventis propter hæc debita [his] qui ea præcedentibus delegationibus [32] contraxerunt, nullam eos moleſtiam pro ſarcina nominationis alienæ ſuſtinere patiaris. PP. *Byritho*, Kal. Novembr. MAMERTINO & NEVITA CONSS. 362.

De duodecim liberis.

24. Idem A. Leontio Conſulari Palæſtinæ [33].

SI quis decurio pater ſit duodecim [34] liberorum, honoratiſſima [35] [munerum [36]] quiete donetur. Dat. Kalend. Mart. *Antiochiæ*, JULIANO A. IV. & SALLUSTIO CONSS. 363.

An curialis ultra terminos ſuæ civitatis exhibere ſui præſentiam debeat.

25. Impp. VALENT. & VALENS, AA. ad Byzacenos [37].

CUriales [38] ultra [39] terminos propriæ civitatis non jubeantur a moderatoribus provinciarum exhibere ſui præſentiam, niſi publica neceſſitas exegerit. Datum prid. Id. Septemb. *Aquil.* divo JOVIANO & VARRONIANO CONSS. 364.

De prætextu religionis.

26. Iidem AA. ad Modeſtum P. P.

QUidam ignaviæ [40] ſectatores, deſertis civitatum muneribus captant ſolitudines, ac ſecreta [41], & [ſub] ſpecie religionis cum cœtibus monazonton [42] congregantur. Hos igitur atque in hujuſmodi deprehenſos erui latebris conſulta præceptione mandamus: atque ad munia patriarum [43] ſubeunda revocari, & pro tenore noſtræ ſanctionis familiarium rerum carere illecebris [44]; quas per eos cenſuimus vindicandas, qui publicarum eſſent ſubituri munera functionum. PP. *Byritho*, Kal. Januar. VALENTINIANO & VALENTE AA. CONSS. 365.

De militia paterna, vel avita.

27. Iidem AA. Mauris Sitifenſibus.

PRivilegio [45] militiæ [46] paternæ ſe [47] non vindicet, quem adſuetus [48] curiæ nexus adſtringit. Quod ſi militari avo, & patre decurione naſcetur, paternæ erit ſuccedaneus functionis [49]. Dat. 9. Kalend. Mart. [50] *Trever.* VALENTINIANO & VALENTE AA. CONSS. 365.

De muneribus.

28. Iidem AA. & GRATIAN. ad Voluſianum P. U. [51].

NUllus qualibet prærogativa fultus a civili [52] muneribus habeatur immunis. Dat. 4. Kalend. Jun. *Mediolan.* VALENT. & VALENTE AA. CONSS. 365.

Utrum filius patris, vel matris conditionem ſequatur.

29. Iidem AA. Germano P. P. Galliarum.

NAti ex inquilinarum [53] noſtræ domus matrimonio & patre decurione, non patrum ſuorum, verum [54] matrum conditionem ſequantur. Dat. 3. Id. Octob. VALENTIN. & VALENTE AA. CONSS. 368.

De actionibus publicis.

30. Iidem AA. ad Modeſtum P. P.

PRocuratores [55] reipublicæ actionibus publicis debere uti non veniant in dubium.

De curialibus in publicum protrahendis.

Poteſt quis extrahi de domo ut accepet officium, & occultator punitur. Bart.

31. Imppp. VALENT. VALENS & GRATIANUS AAA. ad Modeſtum [56] P. P.

EX omnibus domibus [57] producti, qui origine ſunt curiales [58], ad ſubeundam publicorum munerum functionem protrahantur [59]: quippe cum occultatoribus [60] talium, præter jacturam exiſtimationis, etiam rerum diſcrimen incumbat, ſi ulterius progreſſi, utilitatem publicam privatis cuſtodiis [61] & patrociniis poſtponant. Dat. 3. Id. Jul. *Ancyræ*, GRATIANO A. II. & PROBO CONSS. 371.

1 *C. Th. h. t. l.* 9. 2 Decurio rei propriæ vel publicæ cauſa, Comitatum ſeu aulam principis adire non poteſt, antequam judici deſiderium proficiſcendi inſinuaverit, & miſſionem impetraverit. 3 Id eſt, præſidi. *Goth.* Obſtare videtur *l. pen.* J. *de legation.* videtur, inquam, non obſtat: præſidi enim decretum & cauſa legationis non inſinuatur, commeatum tamen ſive ἀπολυτικὴν ab eo poſtulare neceſſe eſt. *Mod.*
4 Ea ἀπολυτική. adde *l. pen. infr. de legationib.* 5 *Deportationis exitum, in C. Th.* 6 Al. *Cæſ.* 7 *C. Theod. h. t. l.* 13. *in fin.* 8 Decurio, miles, relicta curia eſſe non poteſt. *l.* 51. *l.* 55. *in princ. infr. h. t.* 9 *C. Theod. h. t. l.* 16. 10 Duumviratum ſcil. 11 Al. *deeſt.* 12 *Paruerint, in Cod. Theod. & quibusd. lib.*
13 Duumviri ſunt magiſtratus municipales annui. Duumviralitii, qui duumviratu abierunt. Auguſt. *de cura pro mortuis habenda.* Goth. In municipiis enim aliis duumviri erant, in aliis quatuorviri, *l.* 1. J. *de ſol. & lib. deb. civ.* in quibusdam ædiles, *l.* 2. J. *tit. prox. l. qui inſulam.* §. *ædilis. ff. locati.* & tale fuit Arpinum, de quo Cicero: *Ædilem filium meum fieri volui, is enim magiſtratus in noſtro municipio nec alius ullus creari ſolet.* ad hoc exemplum *Lanuvium Dictatores* habebat, *Capua Prætores*, *Alexandria Hypomnematographos. l.* 59. J. ſed ut ad duumviros revertamur, qui eo honore perfuncti erant, *Duumviralitii* dicebantur. Auguſtinus de cura pro mortuis: *Curialis pauper vix illius loci duumviralitius.* Mod. 14 *Al.* VII. 15 *C. Theod. h. t. l.* 17. 16 *l.* 28. *l.* 37. *l.* 43. *in fin. l. ult. in fin. infr. h. t.* 17 Præſtituta. 18 *Ex hoc titul. l.* 29. 19 *Al.* VII. 20 *Sic Cujac. reſtituit.* al. *autem legitur*, Conſtantinæ. 21 *Al.* Cyrenenſium, verum intelligit ludos Circenſes, ut ſatis lex ipſa indicat. Jubet autem Duumviros non edentes ludos Circenſes, Reipublicæ protinus reddere compelli ea, quæ in eam rem Reſpublica prærogaverit, *ut hic.* Idem eſt in Prætoribus. *l.* 6. *C. Theod. h. t.*
22 Hoc dicit Duumviros non edentes ludos Circenſes, protinus reipublicæ reddere compelli ea, quæ in eam rem reſpublica prærogaverit. Similis eſt de prætoribus lex ejusdem Conſtantii *lib.* 6. *Cod. Theod.* his verbis: *Pro eo, quem abſentem tempus editionis invenerit, erogationem debitam fiſcus expendat, poſt adventum cuncta, quæ prorogata fuerint, ſoluturo.* Mod. 23 *C. Theod. h. t. l.* 30. 24 *l.* 14. *infr. de ſuſceptorib. h. l. tit.* 70. *l.* 2. J. *de ſilentiariis. l.* 12. *tit.* 16. *l.* 17. §. 7. *l.* 18. *ff. ad municip.* 25 *Congrua compellantur, in C. Theod.* 26 *C. Theod. h. t. l.* 51. 27 *Qui, in C. Th.* 28 *l.* 62. *in princ.* J. *h. t.* Goth. Sic & Ilienſes & Delphenſes privilegiati fuerunt, non quidem ut editus matre curiali & patre non curiali, curiam maternam ſequatur, ſed ut editus utroque parente curiali, matris Ilienſis aut Delphicæ, vel etiam Ponticæ (nam huic quoque idem indultum) curiam ſequatur, *l.* 1. *ff. ad munic.* amplius Ilienſes Claudii temporibus etiam omni publico munere ſoluti ſunt. *l. non tantum.* §. *Ilienſibus. ff. de excuſ. tut.* qua de re vide Cujacium hic. *Mod.* 29 *Dignitas, in C. Theod.* 30 *Cod. Theod. h. t. l.* 54. meminit Zoſimus *lib.* 5. 31 Decurio novus non tenetur ſolvere æs alienum anteceſſoris ſui, quem non nominavit. 32 Suſceptor nemo creatur ſine delegatione.
33 *C. Theod. h. t. l.* 55. 34 *In C. Theod. & vet. exemp.* XIII. unde Cujac. legendum exiſtimat XVI. duobus II. mutatis in V. *Goth.* Vide Ferrandum Paes *in tract. de excuſat. par. ob num. liber.* Mod. 35 Al. *honeſtiſſima. & ita in l. ſemper.* 5. *ff. de jure immunitatis*, ὁ ἔχων δέκα ἐξ παῖδας, πάντων λειτουργημάτων ἀπαλλάττεται.
36 Deeſt *in Cod. Theod. & quibusd. manuſcr.* 37 *In C. Th. l.* 60. *h. t.* 38 Vid. *ipſum C. Th.* & Alciat. *lib.* 13. *diſpunct. cap.* 11. 39 Curialis extra civitatem pertrahi non poteſt, niſi publica neceſſitas aliud exigat. adde *Novell.* 45. *in fin. princ.*
40 *C. Theod. h. t. l.* 63. pertinet autem hæc lex ad monachos Ægypti, quibus Valens pertinaciter infenſus fuit, ut ex ipſo Cod. Theod. conſtat. 41 Ignavi, eorumque ſecta legibus notatur. adde *l.* 52. §. *penult. ſupr. de epiſc. & cleric.* adde Ariſt. 1. *Polit.* 4. De operis monachorum Hieronymus ad Ruſticum monachum, *can. nunquam.* 33. *de conſecratione. Diſtinct.* 5. *Novell.* 133. *c.* 6. ubi adverſus ignavos, adde *Nov. Leon.* 10.
42 E ſecretis ſuis ignaviæ ſectatores ad ſuam curiam, *ut hic* (ut metallarii ad ſua metalla) revocantur. *l. ult.* J. *de metallariis. l.* 11. *tit.* 6. Eorum autem, qui in ſecretis ita vivunt, præfecti, archimandritæ, *de quib. ſupr. in tit. de epiſcopis.* 43 Id eſt, ſolitariorum monachorum. hoc autem conſtituit Valens Arianus Baſilio Magno, monachorum multorum principi ac patri infeſtus, *ut teſtatur* Gregorius Nazianzenus, & tamen hæc lex probata a Juſtiniano: ut & SC. factum Neronis Imperatoris tempore, *l.* 1. *ff. ad SC. Treb.*
44 Hoc ad eos proprie pertinet, qui curia relicta in ſolicitudines ſe recipiebant, non ad alios qui bona propria & teſtamenti factionem retinebant. *l. generaliter. ſupr. de epiſc. & cleric.* vide Forcatulum *in Cupidine Juriſperito. cap.* 5. Mod. 45 Patriam deſerens impius. *l. pen. ſupr. de reſc. vend.* Goth. Vid. Alciat. *lib.* 3. *diſpunct. cap.* 11. & Franciſc. Amajam *hic.* Anſ. 46 *Ex hoc tit. l.* 64. *C. Th.* 47 Avo decurione, patre milite natus avi: patre decurione, avo milite, patris conditionem ſequitur. Militiæ præfertur ita curia. adde *l.* 35. *in fin.* J. *h. t.* Goth. Vide Cujacium *ad cap.* 4. *lib.* 3. *recept. ſent. Julii Pauli.* Mod. 48 *Habitus, in veter. lib. quod idem eſt, atque*, avitus, *ut legitur in C. Th.* 49 *Functio, in C. Th.* 50 Al. *Maji.* 51 *C. Th. h. t. l.* 67. ex qua aliquid hic detractum. 52 Decurio dignitatem, aut militiam adſecutus, immunis a muneribus eſſe poteſt. adde *l.* 19. *ſupr. h. t.* 53 Inquilinorum. 54 Curiali patre, matre inquilina, vel colona dominica natus, colonus eſt, non curialis: inquilinatum ſequitur potius, quam curiam, *ut hic*, quod abrogatum videtur *Novell.* 38. *cap.* 2. 55 Procuratores Reipublicæ cauſas Reipublicæ agunt apud Præſidem aut Principem. *Goth.* Qui & *curatores* reipublicæ dicebantur: atque hi erant judices & cenſores rerum ad civitates pertinentium, *l.* 3. *ſupr. de mod. mult. l. ult. ff. de off. aſſeſſ.* Is eſt unus ex decurionibus, prædia publica & vectigalia locat, pecuniam publicam tractat, opera & loca publica curat. *l. ad curatores. ff. de damn. infect. l.* 3. §. *plane. l.* 5. §. *idem ait. & §. hæc verba. ff. quod vi aut clam. l.* 2. & 3. *ff. de admin. rer. ad civit. pertin.* Mod.
56 *Cod. Theod. h. t. l.* 67. 57 Vid. *l.* 39. J. *h. t.* 58 *Curiali, in Cod. Theod.* 59 Vid. *l.* 103. *ff. de reg. jur.* Peckium *cap. de jure ſiſtendi.* 60 Occultator decurionis punitur. 61 *In quibusd.* legitur ſtudiis.

De fabricenſibus.

32. Imppp. GRATIAN. VALENT. & THEOD. AAA. ad Neotherium P. P. [1].

FAbricenſes [2] ordinibus [3] reſtituantur, qui originem curialem & propria [4] munera declinaverint civitatis: reliqui ne [5] levi quidem inquietudine pulſentur. Dat. 16. Kal. April. *Theſſal.* GRATIANO V. & THEOD. I. AA. CONSS. 380.

De tormentis.

33. Iidem AAA. Eutropio P. P. [6].

OMnes Judices provinciarumque Rectores a conſuetudine temerariæ uſurpationis abſtineant, ſciantque neminem omnino principalium [7] aut [8] decurionum ſub qualibet culpæ aut erroris [9] offenſa cruciatibus [10] eſſe ſubdendum. Quod ſi quis forte Judicum in hanc pertinaciam illiciti furoris eruperit, quod audeat principalem aut decurionem, & ſuæ curiæ (ſi ſic dici oportet) Senatorem [11], tormentis [12] ſubdere, viginti librarum auri illatione multatus, & perpetua infamia inuſtus, ne [13] ſpeciali quidem reſcripto notam eluere [14] mereatur: & officium quinquaginta librarum auri multam fiſco noſtro cogatur inferre: quoniam ut pertinaciæ judicis [ſui [15]] reſiſtat, liberam eidem contradicendi permittimus facultatem. Dat. 12. Kal. Auguſt. *Heracleæ*, EUCHERIO & SYAGRIO CONSS. 381.

De procuratione.

34. Iidem AAA. Floro P. P. [16].

SI quis procurationem [17] facultatum ſuarum curiali crediderit eſſe mandandam, totius dignitatis exceptione depulſa, graviſſima pœna plectetur: ille vero qui immemor libertatis & generis, infamiſſimam ſuſcipiens vilitatem [18], exiſtimationem ſuam ſervili obſecundatione damnaverit, tradatur exilio. Dat. 10. Kalend. Novembr. *Conſtantinop.* ANTONIO & SYAGRIO CONSS. 382.

De filiis decurionum.

35. Iidem AAA. Poſthumiano P. P. [19].

IN filiis decurionum retinendis priorum [20] præceptorum decreta ſublimitas tua cuſtodiat: eosque [21] qui advocationis [22] obtentu [23] curialia onera declinant, agere univerſa [24] compellat: quæ etſi neceſſitas non exigit, tamen patria non remittit: ipſos quinetiam filios magiſtrorum [25] qui ex curiali ſtirpe deſcendunt, ſimili modo obnoxios eſſe decernat. Datum 8. Id. April. *Conſtantinop.* MEROBAUDE II. & SATURNINO CONSS. 383.

Utrum filii patris an matris conditionem ſequantur.

36. Iidem AAA. ad Baſilium Com. S. L. [26].

EXemplo [27] Senatorii ordinis, patris [28] originem unusquisque [29] ſequatur: nec valeant ſpecialiter [30] delata reſcripta, ſi quis ſe, matris origine defenſa [31], a majore curia ad minorem transferri fortaſſe promeruerit: neque ulla pro more [32] provinciæ referri [33] ſinatur exceptio. Dat. 16. Kal. Jul. *Romæ*, MEROBAUDE II. & SATURNINO CONSS. 383.

De reſcriptis.

37. Iidem AAA. Poſthumiano II. P. P. [34].

QUotiescunque ſe ex reſcriptis [35] noſtris aliquid impetraſſe contendunt hi quos obnoxios curiæ, vel [36] origo fecerit, vel latum inter partes judicium deſignaverit: nullam prorſus ſpem curiam declinandi ex colore ſacræ juſſionis accipiant. Dat. 14. Kalend. Auguſt. *Conſtantinop.* MEROBAUDE II. & SATURNINO CONSS. 383.

De pœnis.

38. Iidem AAA. ad Cynegium P. P. [37].

NE quis officialium [38] pœnæ [39] ſpecie atque æſtimatione curiæ dedatur [40]: niſi ſi quis forte curiam defugiens, ob hoc cœperit militare [41]: ne [42] ingenitis [43] fungatur officiis. Omnes itaque omnino Judices [44] tuæ cenſuræ ſubditos admonebis, ne quis [eorum [45]] exiſtimet curiæ loco [46] ſupplicii quenquam deputandum: cum utique [47] unumquemque criminoſum [48] non dignitas debeat, ſed pœna comitari. Dat. 8. Id. Novemb. *Conſtantinop.* RICHOMERE & CLEARCHO CONSS. 384.

De privilegio domus Principis.

39. Iidem AAA. ad Euſignium P. P. [49].

CUriales qui ſeſe privilegio [50] domus noſtræ defendi poſſe crediderint, ad curiam retrahantur, & [51] propriis functionibus mancipentur, & publica damna ſarciant. Datum 8. Kalend. Januar. HONOR. NB. P. & EVODIO CONSS. 386.

De delictis.

40. Imppp. VALENT. THEODOS. & ARCADIUS AAA. Cynegio P. P. [52].

QUilibet principalium [53] vel decurionum, [ſi [54]] vel decoctor [55] pecuniæ publicæ, vel fraudulentus in adſcriptionibus illicitis, vel immoderatus in exactione fuerit inventus: juxta priſtinam conſuetudinem non ſolum a vobis, quibus [56] propter loci dignitatem rerum ſumma [57] commiſſa eſt, verum & a judicibus [58] ordinariis plumbatarum [59] ictibus ſubjiciatur [60]. Dat. die Kalend. April. *Conſtantinop.* VALENTIN. A. III. & EUTROPIO CONSS. 387.

De conditione non mutanda, & curia non relinquenda. De ſenectute.

41. Iidem AAA. Cynegio P. P. [61].

DEcurio fortunam, quam naſcendo meruit, ſuffragiis atque ambitione non mutet: & ſi vacare per ſenectutem [62] potuerit, propter ordinationem, quæ per plurimos cito [63] definiri ſolet, curiam non derelinquat. Dat. prid. Non. Jul. *Conſtantinop.* VALENT. A. III. & EUTROPIO CONSS. 387.

De viris militaribus.

42. Imppp. THEOD. ARCAD. & HONOR. AAA. Abundantio Com. & Magiſtro utriusque militiæ [64].

MIlitaribus [65] viris nihil ſit commune cum curiis nihilque [66] ſibi licitum ſciant, quod ſuæ non ſubjectum eſt poteſtati: nullum injuria, nullum verbere, nullum gravi pulſatione Tribunus, Duxve [67] ille, aut Comes ſit, curialem principalemve contingat. Si quis poſthac temerario, & inconſiderato auſu ullum ex principalibus viris uſurpata attrectaverit injuria: ſciat ſe decem libris auri eſſe multandum. Dat. prid. Kal. Auguſt. *Conſtantinop.* ARCADIO A. I. & RUFINO CONSS. 392.

De officiorum privilegiis, actuum præjudiciis, reſcriptis & adnotationibus.

43. Iidem AAA. Rufino P. P. [68].

OMnes, qui curiali obſtricti ſanguine diverſis ſe officiorum [69] privilegiis & actuum [70] præjudiciis aggregarunt, reddendos muniis [71] eſſe non ambiges. Sed nec reſcripta, aut adnotationes ad munerum fugam prodeſſe permittimus. Dat. prid. Id. April. *Conſtantinop.* THEOD. A. III. & ABUNDANTIO CONSS. 393.

De matris conditione.

44. Iidem AAA. Rufino P. P. [72].

NUllus [73] ſolius materni [74] ſanguinis vinculis illigetur: quia [75] mulierum infirmitas nunquam hujuſmodi functionibus reddit obnoxios, a quibus ipſa habetur immunis. Dat. 5. Id. Auguſt. *Conſtantinop.* THEODOS. A. III. & ABUND. CONSS. 393.

De curialibus eligendis.

45. Impp. ARCAD. & HONOR. AA. Theodoro P. P. [76].

AD ſubeunda patriæ munera digniſſimi [77] meritis [78] & facultatibus [curiales] eligantur: ne tales forte nominentur, qui functiones publicas implere non poſſunt. Datum 13. Kalend. Februar. OLYBRIO & PROBINO CONSS. 395.

1 *C. Theod. h. t. l.* 81. 2 Fabricenſes ὁπλοποιοί. 3 Curiales, qui ſe Fabricenſium collegio dederint, retrahendi, & ordini ſeu curiæ ſuæ reſtituendi. *l.* 4. J. *de Fabricenſibus. l.* 11. *tit.* 9. 4 *Propriæ, in C. Theod. & vet. quibusd. lib.* 5 Al. *nec.* 6 *Cod. Theod. h. t. l.* 85. 7 Principales decurionum primi. Pro curiarum amplitudine quinque, decem, vel viginti erant: Principalium primus, primus Curiæ, *l.* 56. *infr. h. t.* quaſi conſul. His principalibus pene ſimiles ſunt, qui nobis Capitolini & Scabini, alias pro quolibet curiali ſumitur principalis. Sic Auguſtinus Areopagitas, principales Athenienſium vocat. 8 *Ac in C. Theod.* ſunt autem principales, decurionum primi.
9 Al. *Anterioris in lib. Aur. & Dionyſ. ſub cujuslibet culpæ aut anterioris offenſæ* &c.
10 *Plumbatarum cruciatibus, in Cod. Theod.* quod eſt a compoſitoribus immutatum, ut paulo poſt, ubi repoſuerunt, *tormentis. l.* 40. *infr. h. t.* 11 Decuriones ſuæ curiæ quaſi Senatores erant: Curia ipſa, minor ſenatus. *l.* 36. *infr. h. t. l.* 239. §. 5. *ff. de verb. ſign. Novell.* 38. Euagrius *l.* 3. Majorianus *Novell. de Decurionibus.* Caſſiodor. 9.
12 Decuriones a pœnis aut tormentis plebejorum immunes ſunt. Pœnæ plebejorum equulei, ungulæ, fidiculæ. *l.* 57. *l.* 58. J. *h. t. l. ult. ff. h. t. l.* 2. *infr. de decur. Urbis Romæ. l.* 11. *tit.* 13. *l.* 12. S. *de pœnis. Novell.* 45. *Auguſt. epiſt.* 63. & *l.* 3. *contra Creſconium.* ex gradu & conditione reorum forma tormentis datur. 13 *Nec, in Cod. Theod.*
14 Eruere. 15 Al. *deeſt.* 16 *Ex Cod. Theod. h. t. l.* 92. quem vide & confer. multa enim hic ſunt detracta. 17 Decurio procurator alterius eſſe non poteſt, adde quæ ſcripſi *ad l.* 6. §. 2. *ff. h. t.* 18 Vide Wurmſer. 1. *Obſervat.* 12. 19 *Cod. Theod. h. t. l.* 98. 20 Leges anteriores ſequendæ in filiis decurionum in curia retinendis. 21 Eos quoque. 22 Advocatione fungi decurio poteſt. *l.* 56. *l.* 57. J. *h. t. l.* 13. §. 2. *ff. ad l. Corn. de falſis.* tabellio eſſe non poteſt: *l.* 15. *ſupr. h. t.* Licet a decurionatu vocari poſſit. *l. ſi quis decurio.* 21. *ſupr. ad leg. Corn. de falſ.* 23 Decurio advocationis obtentu civilia munera detrectare non debet. 24 *Onera univerſa, in Cod. Theod.* 25 Magiſtrorum, id eſt, profeſſorum artium liberalium, ex curiali genere deſcendentium filii a civilibus muneribus non excuſantur, ut patres. 26 *Cod. Theod. h. t. l.* 101. 27 Exemplo ſenatorii ordinis dixit. eſt enim ſua inter ſenatores & curiales ſeu Decuriones ſimilitudo. dixi *l.* 33. S. *h. t. Novell.* 38. *cap.* 6. 28 Originem patris ſequuntur ut Senatorii, ita Decuriones. 29 *Municeps unusquisque, in Cod. Theod.* 30 Privilegium privatus impetrare non poteſt, ut ne ſequatur patris, ſed matris conditionem, *ut hic*, civitates vero & provinciæ poſſunt. *l.* 22. *ſupr. h. t.*
31 *Defendens, in Cod. Theod.* 32 Conſuetudine hoc jus adquiri non poteſt, ut liberi ſequantur matris originem. 33 Referre. 34 *Cod. Theod. h. t. l.* 102.
35 Privilegia impetrata in fraudem curiarum non valent. *l.* 19. *ſupr. h. t.* ut incolatus poſſidendi conditio. 36 Curiæ ſubjicitur quis origine vel ſententia, *ut hic.*
37 *Cod. Th. h. t. l.* 108. 38 Officiales hic, cohortales officiales præſidum.
39 Pœnæ ſpecies olim, curiæ ſubjici, ut hic: mox dicetur plenius. 40 *Edatur, in Cod. Theod.* 41 Militia decurionibus interdicta, vide *l.* 55. J. *h. t.* 42 Nec ingenuis. 43 Ingenita officia, originalia. *l.* 50. J. *h. t. l.* 3. S. *de officio P. Prætor. Orient.* 44 Id eſt, Præſides. *Goth.* Nam hi ſubjiciuntur præfecto prætorio. *l. quilibet.* J. Mod. 45 Al. *deeſt etiam in C. Theod.* 46 Decuriones multis muneribus erant obnoxii, adeo ut pœnæ loco Chriſtiani ab impiis principibus Curiis addicti ſint: ut teſtatur Caſſiodorus 1. *Tripartitæ* 9. & 6. *c.* 7. Ita deſertores monachi & clerici addicuntur cohorti Præſidis. *Nov.* 5. *c.* 6. (quod Leo in Novell. 8. mutat & *Novell.* 123. *cap.* 42.) apparitores P. urbi, corpori piſtorum. *l.* 2. *ſupr. de apparit. Præfecti.* Hoc enim genere conditionem mutant in deterius. Non ſic pœnæ ſpecie cohortalis addicitur curiæ, *ut hic*, vel ſuarius piſtrino. *l.* 19. *ſupr. de pœnis.* quia rei conditio ſic deterior non fieret.
47 Pœnæ ea conditio eſt, ut deteriorem faciat conditionem ejus, qui punitur, non meliorem. 48 Crimen pœna, non dignitas comitari debet. 49 *Cod. Theod. h. t. l.* 114.
50 Decuriones nullius domus patrocinio tueri ſe debent, cujuscunque illa dignitatis ſit vel fortunæ. *l.* 31. S. *h. t.* 51 Et ut *in Cod. Theod.* 52 *Cod. Theod. h. t. l.* 117.
53 Principales, curiæ primi. *l.* 33. S. *h. t.* qui & primates & primicerii. 54 Abeſt *a Cod. Theod. & quibusd. lib.* ſed tollendum non videtur. 55 Decoctores hic & *l.* 12. *infr. de ſuſceptorib. h. l. tit.* 70. vid. quæ dixi ad *l.* 2. J. *de palatinis ſacrarum largitionum. l.* 12. *tit.* 24. Tertull. *Apologetic.* 56 Caſſiodorum *in Pſal.* 104. Præfecti vice ſacra judicant & cunctarum provinciarum poteſtatem maximam habere noſcuntur.
57 Ammian. 17. κορυφαῖα. 3. Euag. 42. 58 Præſides ſubjecti ſunt P. Prætorio.
59 Plumbatarum ictibus caſtigari decuriones hodie poſſunt, maxime ſi everſores pecuniæ publicæ, ſi iniquam deſcriptionem feciſſe, convicti, ſi ſuperexactores, vel concuſſores fuerint. adde *l.* 2. *C. Th. lib.* 9. *tit.* 38. plumbatarum ictus verbera. *l.* 2. S. *de exact. trib. h. lib. tit.* 19. *l.* 2. *C. Theod. de quæſt. l.* 7. *Cod. Theod. de exaction. Ammianus* 29. Prudentius περὶ στεφάνων. 60 Al. *ſubjaceantur.* 61 *C. Theod. h. t. l.* 118. 62 Senectus non excuſat a decurionatu. vid. tamen *l.* 5. *in pr. ff. de jure immunit.* 63 Immunitas non tribuit excuſationem ab iis, quæ cito expediri poſſunt. 64 *Cod. Theod. h. t. l.* 128. 65 In decuriones juriſdictio eſt civilibus magiſtratibus: at non militaribus. *l.* 47. *infr. h. t.* vid. *l.* 2. S. *de offic. milit.* 66 Nihil. 67 *Dux ille, an comes ſit*, in pleriſque lib. & ita legendum exiſtimat *Cujac.* 68 *Cod. Theod. h. t. l.* 134.
69 *l.* 21. *l.* 28. *l.* 32. *l.* 35. *l.* 39. S. *h. t.* 70 Actuum præjudicia: adde *l.* 31. *l.* 39. S. *h. t.* 71 *d. l.* 39. S. *h. t.* 72 *Cod. Theod. h. t. l.* 137. §. *nullus.* 73 *Nullus ſane ſolis materni* &c. *in C. Theod.* 74 Curiæ maternæ civitatis non obligatur, qui patre non curiali, matre vero ex curiali genere natus eſt. Maternus ſanguis curialem non facit. adde *l.* 1. §. 2. *ff. ad municipalem.* excipe *l.* 62. J. *h. t.* 75 A matre nemo recte habere poteſt, quod ipſa mater non habeat, unde notant, non militem, militem facere non poſſe. Dare nemo regulariter poteſt, quod ipſe non habet. 76 *C. Th. h. t. l.* 142.
77 Digniſſimis ac potioribus munera injunguntur, non ordinationi, *l. unic.* J. *de potioribus ad mun. nomin. h. lib. tit.* 65. *l.* 7. *in pr. ff. h. t.* 78 *Et meritis, in C. Th.* Goth. Atque hoc eſt quod dicit *l. honores. ff. h. t.* honores & munera non ordinationi, ſed potioribus injungi: innuere enim vult, non tam vices ſpectari quam vires. quod & de tutelis Paulus ſcripſit 2. *recept. ſent.* Cæterum ordinem harum legum mutavit, alios ſecutus, hic Gothofredus; quod moneo magis, quam miror. *Mod.*